



BOUVIER

TEOLOGIA

BX1751

.B6

1850

v.2

c.1

230

E # 2 - 6 # 4 2

DOCTOR JOSE ANGELO  
BENAVIDES

INSTITUTIONES  
THEOLOGICÆ  
AD USUM SEMINARIORUM.

TOMUS II.



1873

INSTITUTIONES  
THEOLOGICÆ  
AD USUM SEMINARIORUM,

AUCTORE J.-B. BOUVIER,

EPISCOPO CENOMANENSI.

SEPTIMA EDITIO, ACCURATE EMENDATA.

ACCEDIT RERUM INDEX GENERALIS ALPHABETICUS.

TOMUS SECUNDUS.

DE FIDE.—DE TRINITATE.—DE INCARNATIONE.—  
DE GRATIA.—DE SACRAMENTIS IN GENERE.—  
DE BAPTISMO.—DE CONFIRMATIONE.



PARIS

APUD MEQUIGNON JUNIOREM,

J. LEROUX ET JOUBY, SUCCESSORES,

FACULTATIS THEOLOGICÆ BIBLIOPOLAS,

Via Majorum Augustinianorum, 9.

DE L'IMPRIMERIE DE BEAU, A SAINT-GERMAIN-EN-LAYE.

M DCCC L

53524  
37784



1080041975

FONDO DE BIBLIOTECA PÚBLICA  
DEL ESTADO DE NUEVO LEÓN

## INSTITUTIONES THEOLOGICÆ

AD USUM SEMINÁRIORUM.

TRACTATUS  
DE FIDE.

Vox *fides* in variis acceptionibus sumitur apud auctores sacros et ecclesiasticos; scilicet: 1° pro fidelitate in promissis, ut Rom. III, 3: *Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Absit*; 2° pro ipsis promissis, ut in I Tim. v, 12, de quibusdam viduis dicitur: *Primum fidem irritam fecerunt*; 3° pro ipsa conscientia vel intima persuasione, ut Rom. XIV, 23: *Omne quod non est ex fide, peccatum est*; 4° pro fiducia, ut apud Jacob. I, 6: *Postulet autem in fide, nihil hæsitans*; 5° pro ipso fidei objecto, ut in Symbolo S. Athan. « Hæc est fides catholica, quam » nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse » non poterit.»

Communius per fidem intelligitur *assensus intellectus propter alterius auctoritatem*: si propter hominis vel hominum auctoritatem, fides est humana; si propter Dei auctoritatem, est fides divina, de qua sola in hoc tractatu dicendum est.

Fides, sic spectata, considerari potest ut actus vel ut virtus: ut actus, est assensus supernaturalis quo veritates a Deo revelatæ firmiter creduntur propter auctoritatem revelantis; ut virtus, est habitus supernaturaliter infusus, nos ad eliciendos actus fidei inclinans.

De fide sub priori respectu considerata hic præcipue agemus, de virtute fidei alibi tractaturi.